



Disputatio medica inauguralis de gangraena et sphacelo

<https://hdl.handle.net/1874/341870>

37

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
GANGRÆNA
ET SPHACELO,

QUAM
ADSPIRANTE NUMINE
Ex auctoritate Magnifici Rectoris,
D. HERMANNI WITSII,

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemque in Inclita Academia Ultrajectina
Professoris Ordinarii, & Ecclesiæ ibidem Pastoris facundissimi,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, & Alme
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA honoribus, & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis.

Eruditorum Examine subjiçit

JACOBUS SMEUR, ZIRIZ-ZELAND.

Ad diem 16. Martii, horâ locoque solitis.



TRAJECTI AD RHENUM;

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae
Typographi, cl^o l^oc LXXXVII.

DE
O
FAUTORIBUS

ATQUE
AMICIS.

EX OFFICINA FRANCISCI HALMA, ACADEMIAE
TYPOGRAPHI, CH. JO. LXXXVII.



DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

GANGRÆNA

ET SPHACELO.

THESIS I.



Inter Corporis nostri morbos non minimum esse puto, istum affectum, qui apud batavos, belgice 't heete vuer of beginnende verstervinge vocatur: medicis vero à Græcis desumpto nomine *Gangræna* dicitur.

I I.

Quod idem fere significat ac *Comestionem* seu incipientem mortificationem; ut ex vocabulo græco, a quo derivatum est, colligi potest: à quibusdam etiam *Cancer* appellatur. Attamen recte isti *Corruptioni* tribuitur, cum pars nostri corporis viventis moritur, quæ magis magisque accrescat, ita ut primum mortuum putrescat.

A 2

III. Hic

DISPUTATIO MEDICA

III.

Hic morbus duplex est, respectu ipsius causæ: id est, vel dependens à quadam peculiari prima causâ, extra corpus nostrum orta. Vel per accidens, ortus ex morbo quodam, cujus ortus à quadam peculiari causâ, in corpore nostro orta, est dependens.

IV.

Primæ sunt istæ, quæ per inconsoetam frigiditatem & calorem ortæ sunt. Atque etiam istæ, quæ per confusionem, & per ossis fracturam ortæ sunt. Istæ quoque, quæ per dislocationem, & per ligamenti nimiam astringentiam ortæ sunt. Postremo etiam istæ, quæ per Ruptoria & per animalium venenatorum morsus ortæ sunt.

V.

Secundæ sunt istæ, quæ per omnes tumores, atque etiam per omnes ulcerationes ortæ sunt: inter quas etiam numerari possunt, istæ, quæ per nutritionis defectum oriri possunt.

VI.

Istæ omnes species gangrænarum, per dictas causas ortæ, accidunt fere tribus modis. Gangrænæ, per dislocationem, astringentiam nimiam ligamenti omnes species tumorum, & nonnullas ulcerationes ortæ, sunt quia per succos ex prima causâ in læso membro coagulatos, vel per ligamen astringens, vel per ossa dislocata, arteriæ, seu vanae, seu simul nervi, adeo constringuntur, vel obstruuntur, ut amplius alimentum, aut mutationem succorum, sanguinisque in membrum læsum adferre non possint unde particulae, à quibus consistunt succi & sanguis, primo incipiunt malum accipere motum. Posteaque etiam istæ, à quibus consistunt membranæ, à quibus tubuli partium conflati sunt. Ita ut paulatim

paulatim incipiant dissolvi fibræ & textura partium. Unde primo, quum coagulatio magna fit, vesiculæ in partibus oriuntur. Atque postea liquorum, exhalationumque fætidorum fluxio. Cum diversis coloribus modo rubore, pallore, livore, nigrore, sensus majore, minore stupore, ablatione &c.

V I I.

Per Contusionem & fracturam ossis fiunt gangrænæ, quia partes contusæ atque à figuris aptis ad vitam plane mutatae sunt & cum istæ tam multæ sunt ut eorum principia à circumfluentibus succis amplius in ordinem redigi non possint: tum facile abeunt ad læsiones & phænomena ista, quæ hic supra præposui.

V I I I.

Tertia species gangrænarum, ortæ, per inconsuetum calorem, Ruptoria & per animalium venenatorum morsum, fit, quia particulæ; quibus membranulæ tubularum constant, non solum à se mutuo disruptæ sunt sed etiam eorum principia, vel per calorem, vel per Ruptoria, vel per animalium venenatorum morsum ad malum &c. (ut supra dictum) stimulantur. Et non raro post disruptionem adeo in se contrahantur ut non nisi lente moveri queant, & dicta phænomena præbeant.

I X.

Prognosis instituenda est, pro ratione & gravitate causarum afficientium, atque partis gangræna laborantis natura, & symptomatis. In genere est affectus periculosus valde, nisi brevi curetur & ne ulterius serpat impediatur.

6 DISPUTATIO MEDICA

X.

Curatio itaque celerrime instituat, habito respectu causarum à quibus originem habet, tum partium in quibus hæret. Ad duas indicationes potissimum attendendum est. Prima tollit primas gangrænarum causas. Idque fit, vel per inconsuetæ frigiditatis, & caloris remotionem, eorumque meliorationem; vel per fractorum, & dislocatorum ossium restitutionem; vel per ligamenti nimis astringentis solutionem. Ruptoriorum & animalium venenatorum ablationem. Vel per materię quæ in corpore nostro orta est, atque prima quorundam tumorum & ulcerum causa fuit, evacuationem quod modo perficitur per sanguinis detractionem, modo per purgantium, sudoriferorum, & diureticorum usum: vel potius per medicamentorum usum, quæ materiam peccantem corrigant, alterent, attenuent, & incidant.

XI.

Secunda intentio perficitur, primo per pravæ materiæ, quæ jam in parte ægra residet separationem vel per meliorationem, vel per discussionem, vel per purificationem. Primum fit, per partium sacificationem nonnullorum medicaminum roborantium. Secundo, per partium, quæ jam corruptæ sunt correctionem, id fit per suppurantia. Tertio, per amissarum partium restitutionem, hocque perficitur per incarnantia, atque epylotica.

XII.

Quamvis supradicta remedia & medicamenta ex arte sæpius adhibita sunt, accidit tamen, quandoque, ut gangræna, his non cedat, sed ad sphacelum transeat, vel ad eam transierit antequam medicus adveniat; adeo ut necessum videatur paucula hic de sphacelo addere.

XIII.

X I I I.

Sphacelus vero, qui & necrosis & fideratio dicitur, est ea affectio ubi membra plane mortua sunt, juxta Aquapend. p. II. l. I. cap. xxvii. Cum igitur utraque passio sit mortificatio, neque differant nisi secundum magis & minus, ideo utriusque eadem erunt causa & phænomena in sphacelo graviora.

X I V.

Frustra itaque adhibitis omnibus in gangræna, & parte per sphacelum plane emortua præstat partem istam corruptam amputare, ne sincera trahatur & totum corpus pereat.

X V.

Priusquam ad istam operationem procedatur, quatuor considerare oportet. Primo, quid ante institutionem operationis requiratur. Secundo, quomodo istam perficere oporteat. Tertio, an possibilis vel necessaria sit. Quarto, observandæ Conditiones istæ, quæ necessariæ sunt ad operationis perfectionem; id est, quid ante, quid in, & quid post operationem agendum sit.

X V I.

Operatio hæc species *diæresis* est, atque cruris aut brachii extirpatio fere.

X V I I.

Operatio ipsa, fit cultro acuto &c. Modum ipsa *encheiresis* monstrat.

X V I I I.

An dicta operatio possibilis sit nobis dictant anatomia & experientia & quod necesse sit ostendit nobis ipsum malum.

XIX. Ante

X I X.

Ante operationem oportet omnia instrumenta præparare & in ordinem disponere: conveniunt ergo locus aptus, servi apti, ligamen non latum sed forte; duo cultri unus recurvus & alter anceps & piramidalis, ferra apta, carpta, linamenta variæ magnitudinis, quorum quædam remedio styptico oblita, nonnulla ficca, compressiones, circularis, quadratæ & longæ, duo longa ligamenta.

X X.

Per quæ instrumenta operatio hoc modo, fat, cito & bene perficitur: patiens apte collocetur & cutis à sana parte super mortuam per unum servorum subtenfa sit, ita injicitur primum & non latum ligamen circa partem mortuam ligatum, tum ponatur servus ut cum pollice arterias & venam constringat, ad præcavendum sanguinis fluxum, tum accipitur culter recurvus, quo infra ligamen caro in parte sana usque ad os incidatur hinc periostium accurate separetur (quod si est in crure cultro ancipite fiat) & ferra ducatur per os vel ossa sicque pars extirpetur, quo facto hæmorpagia nimia præcavenda & vulnus secundum artem obligandum.

X X I.

Post operationem arcenda graviora symptomata, quandoque instituta ubi requiritur, venæsectione atque sanationi vulneris per incarnantia & epihotica studendum.













